

V 9
1657



QK. 209, 22.



C A V S Æ,
C V R I N C O E N A E

D O M I N I C Æ V E R B I S ḥ̄t̄p̄ S I T
R E T I N E N D V M.


Quæstio Magistri & Responso D. IOANNIS
VVIGANDI, in promotione Magistrorum
Ienæ recitata 3. Julij. Anno

I 5 7 I.



I E N Æ

Impressum per Donatum Ritzenhan.
Anno M. D. LXXI.



Q V A E S T I O.

ET SI nullum in vita mea iucundius mihi spectaculum vñq̄ fuit, q̄ congressum ornatiſimorum virorum, pietate vera, doctrina præstanti, virtutibus optimis excellentium intueri, tamen nunc pro naturæ meæ verecundia trepidō, quia mihi aliquid in hac pulcherrima corona Profesorum huius inclytæ Academiæ, & studiorum iuuentutis dicendum est. Vereor enim non præter rem, me tam elaboratam orationem proferre non posse, qualem vestræ aures delicatissimæ & argutissimæ desiderant. Sed quia non mea sponte has mihi partes sumo, verum iussus à spectabili Domino Decano, Promotore nostro benefico, confido vos obedientiam meam potissimum spectatores, & humaniter approbaturos esse. Dabo autem operam, ut breuiter me expediam, vobisq; non diu molestiam mihi auscultandi afferam, ac reuerenter oro, ut patienter ac parumper mihi benignas aures præbeatis.

Cum usitatum sit in eiusmodi promotionibus, quæſtionem proponi, in præsentia visum est hanc mouere, Cur in verbis Cænæ, Hoc est corpus meum, Hic est ſanguis meus, τὸ πότον fit retinendum? Hæc ut quærerem, me furores Sacramentariorum commouerunt, quos intellico nunc latè progredi, & scholas tum publicas tum priuatas inuadere paſſim, & hoc vti artificio, ut à verbis

A 2

discē-

descendentes, alias disputationes de rebus sublimibus excitant, ex quibus postea nebulas in uniuersum Testamentum Domini spargant, lucemq; veræ doctrinæ prorsus nefariè extinguant & deleant. Utilissimum igitur est, reuocari controversias ad principalem statum, erudi imperitiores, & confirmari omnium pectora in semel agnita & apprehensa veritate, quæ verbis Christi insistit.

Multa quidem pduc i nō ignoro, quibus Sacramentarij persuadere conantur, nō rō phtōr, sed sī avōia; in illis Testamenti dominici verbis spectandam esse, verum hæc ipsorum ratio, meo quidem iudicio, est præcipua, & ad quam reliquæ omnes respiciunt.

Vbi verba textus manifestam absurditatē gignunt,
ibi necessario si voia est quærenda.

Sed in verbis Cœnæ Dominicæ, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, retinere rō phtōr, gignit absurditates. Nam unum corpus humanum finitum & circumscripsum, Christi nimirum: qui & suscepit verum corpus humanum, & retinet idem corpus, ut pote personaliter unum filio Dei, nec mutat eam assumptam naturam in Diuinitatem unquam, simul & semel in diuisis locis esse debere, ubi cum Cœna Domini administratur in uniuerso orbe terrarum, & quemlibet in usu Cœnæ, totum Corpus & totum Sanguinem Christi accipere, non fide solum, sed & ore suo, id vero absurdum inquit.

argumentum
Sacramenterio. 5
de Gallo
in Verbis
enarr.

inquiet, est omnium absurdorum absurdissimum.

Ergo in verbis Cœnæ, non est retinendum τὸ πνεῦμα, sed quærenda στάντια concinna, Sacramentis conuenientia, & quidem tali, quamle sacramentarij decernunt.

Maiorem existimant immotam esse. Nam quando Christus inquit, oculum scandalisantem esse eruendum, pedem offendentem esse resecandum non de corporali aliqua membrorum mutilatione loquitur, sed de spirituali. Sic quando ipsi Deo tribuuntur manus, pedes, oculi, aures, os, & alia hominis membra, Dei protectio, cura, & aliæ quædam proprietates eius exprimuntur, neq; in τῷ πνεύματι est subsistendum. Ac vim intulit naturæ Origenes, qui nuda verba obseruans, se metipsum castrauit. Recte etiam Anthropomorphitæ sunt ab Ecclesia refutati.

Minorem tanto feroce Martyr propugnat, ut pronunciet, Quod etiam ipsi Deo sit impossibile, etiam si velit, efficere, ut unum corpus finitum, simul ac semel in diuersis locis existere possit.

Ex hoc rationis humanæ fonte, negatur realis communicatio Idiomati in Christo, contemptis atq; protritis testimonijs sacræ scripturæ. Namquādo hæreses stabiliuntur, verba diuina non reliquuntur in magna autoritate, ac testimonijs humanis primo ac summus locus tribuitur.

Hinc proprietas humanæ naturæ in Christo ab ipsis mensuratur, circumlimitatur, cœlo constringitur, cœlo

Origenes sc̄ ipsū
Castrauit.

P. Martyr

Realis Communis
ratio negatur
ex fonte
rationis

Propter diabolorum stabilitatem, floscimur, iorguem frangunt,
et deponunt sanguinorij crudelissima nam dicta gressu
hinc quam Arimetus fidei

capitur, cælo continetur, ut inde nusq; pedem efferat, q;
in nouissimo die, ubi porta cæli iterum, per quam ascen-
dit, reserabitur.

» Ut diabolus stabiatur in verbis Cœnæ, Articuli
» fidei, & dicta Scripturæ, quæ de Cœna Domini ne ver-
» bulum qidem unum habent, ab eis audacissime flectun-
» tur, torquentur, franguntur, deprauantur horribiliter.

Patres quoq; istarum lacerationum verborum Testa-
menti Iesu Christi, ignari, ad istas diabolicas per vim rapi-
untur, nec audiuntur, ubi perspicue, recte, propriæ suæ
sententiam exponunt. Hisce suis interpretationibus
subiungunt atrocæ & blasphemæ voces in Christum i-
psum, in verba Testamenti, in eos, qui à verbis Christi
sese dimoueri non patiuntur. Gloriantur de regnis, de ci-
uitatibus, de Uniuersitatibus sibi ad stipulantibus. Nec
erubescunt Lutheri sententiam in dubium vocare atq;
eneruare.

Non autem dubium est, hisce spectris terrori varieq;
affici, non tantum iuvenes tantarum controuersiarū im-
peritos, sed etiā alios, nō oscitanter de summis istis rebus
cogitantes. Ab blandiuntur enim ea vehementer, quæ ra-
tioni humanae sunt affinia, & facile percipi possunt. Quæ
verò longius à ratione humana discedunt, ac requirunt
tantum fidei obsequium, quæ Deo eloquenti sua Myste-
ria, Veritatem & potentiam attribuit, ut quidem in o-
mib; quæ propriè Articuli fidei nuncupantur, fierine-
cesserunt.

¶ Parvus ra-
pimus ad suum
sententiam

¶ Blaspho-
misi foliū
dri

¶ Cloniansis
de multorum
ad stipulatio:

R.

cessere est, non tam facile in capita aut corda hominum, ut
sic loquar, intrant Grauis vox Pauli est, Animalis ho-
mo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei. Stulticia e-
enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter
examinantur. Spiritualis autem iudicat omnia. Et Chri-
stus inquit, Spiritus vos ducet in omnem veritatem.

Oro igitur quia possum reuerentia, clarissimum vi-
rum Doctorem Iohannem V Vigandum, nostrum Super-
intendentem, ne grauetur aliquid in hoc conuentu de tan-
tis rebus monere. Etsi enim non ignoro, amplitudinem
rerum istarum longiorem & accuratiorem tractationem
requirere, tamen existimo veritatem tam esse planam,
& dilucidam, ut etiam paucis verbis in conspectum pro-
duci queat. Semper enim præstigiæ magis sunt garrulæ,
q Veritatis professio, quæ simplex & recta est, & gau-
det nudè etiam conspici. Pro hoc pio officio, debitam
gratitudinem cum hoc toto Auditorio vicissim
reuerenter polliceor.

RESPON



RESPONSI O D. VVI.

G A N D I A D Q V A E-
S T I O - N E M.

RÆTE R inclinationem Monarchiæ po-
stremæ in hoc mundo, & Turcicæ rabiei po-
tentiam, in tres v/g partes orbis habitati
se se extendentem, multa sunt hoc nostro sæ-
culo, quæ maximarum rerum maximas mutationes por-
tendunt. Nam reuelatio veritatis diuinæ tanta, quanta
nunquæ post tempora Apostolorum facta est, turpi homi-
num securitate fastiditur. Patefactio Antichristi obli-
teratur. Omnia Veterum hæresium monstra, penè in omni-
bus doctrinæ cœlestis capitibus improbè resuscitantur,
ac sine omni fronte ornantur. Apostasie ab agnita Veri-
tate passim fiunt creberrimæ. Crescunt petulantia homi-
num incredibilis, licentia conuiciandi effrenis, persecu-
tio in rectè sentientes immanis, & iuuentuti teneræ in-
stillantur semina errorum & odia sincerè docentium.
Huc accedunt prodigiorum portentosa frequentia, &
alia innumera mala. Quapropter omnium piorum pecto-
ra ingentibus anxietatibus, vt Christus ipse prædixit,
excruciantur, marcescunt, & non pauci homines mero-
ribus exanimantur, qui vident ob oculos furiosas depræ-
uationes doctrinæ, Ministerio Lutheri repurgatæ, vi-
dent in quantis periculis posteri sint futuri, non quidem
ad fa-

ad facultates & corpora, sed ad salutem animarum quod attinet. Ac fateor me quoq; hac tua Doctissime Domine Magister, commemoratione perturbatum esse, quod furores Sacramentariorum in propinquas etiam regiones, atq; adeò in scholas ipsas sese effundere incipient, ac venit in mentem cuiusdam vaticinij, quod ante multos annos audiui, Sacramentariorum hæresin latè grassat vaticini:
NB
ram, & fore postremam in hoc mundo.

Verum in hac tanta ruina, Religionis, Imperiorū, ac mundi totius, erigamus nos voce Christi Salvatoris nostri, dicentis: Ecce ego vobiscum sum usq; ad consummationem saeculi. Erit aliqua Ecclesia licet exigua usq; ad concremationem totius mundi. Oremus igitur, ut nos Deus & posteritatem nostram in veritate sua benignè conseruet, faciamus nostra officia in scholis discendo, doendo, confitendo & propagando incorruptam Evangelij doctrinam, refutemus errores ingruentes, & non nihil etiam patiamur. Satius est enim patiendo pro veritate agnita mori, q; abnegando eam, cum Sacramentarijs & alijs præstigiatoribus viuere.

Quod ad quæstionem propositam, cur ῥογμο in verbis Cœnæ constanter sit retinendum, rectè iudicas, eius explicationē paulò solidiorem, plus temporis requirere, q; in hoc solenni actu nobis concedatur, sed quia mentes bonas sœpè indices rerum grauissimarum, solerter & perspicuè monstrati, vel erudiunt, vel confirmant, vel de-

B

lectant,

Ganunciaro: dogma suu deliriūm detegam:

lectant, tibi, totiq^{ue} huic Auditorio, quantum potero, Deo regente, breuiter gratificari studebo.

Fons erro: sacra
nolarij malus

Mali fructus
Sarmonis:

Nam de pno
Martyre

Fons erroris Sacramentarij, hac nostra etate resuscitati, malus est. Constat enim, initio Cinglium & Carolo-stadium mera ambitione motos esse, ut nouam sententiam proferrent, ne scilicet Lutherus repurgatæ per Spiritum sanctum doctrinæ sacræ, laudem solus auferret.

Deinde nœuos, seu malos fructus, ex quib^{us} vult Christus de Pseudoprophetis iudicium fieri, habent conspicuose eosq^{ue} non paucos. Nam:

1 Verba Christi violenter et quidē dissimiliter torquent. Carolostadius, to^mto, pervertit pro suo capite. Cinglius, est, pmutat in significat. Oecolampadius, corpus in signū corporis transformat. Et sudant omnes in varia iſtorū verborum constructione, compositione, interpretatione.

2 Quando agendum est de Materia Cœnæ, illicò transiliunt ad formam vel usum eius Cœnæ.

3 Nec petunt sententiā Testamenti, ex verbis Textus, sed ex suis ratiocinationibus, & dictis scripture, quæ nihil prorsus de Cœna hac sacra continent.

4 Imò, quod horrendum dictu est, verba Christi omnipotentis filij Dei, tanq^{ue} vanissimi & impotentissimi hominis blasphemè contemnunt & exhibilant, Sicut Martyr in Dialogo suo pag. 127. aperte scribit, Nos p dogmate ac que absurdō ac inutili laborare, nec pro eo tuendo quicq^{ue} habere, nisi Christi tō ēntōp: Hoc est corpus meum.

Keru

5 Verum Christi corpus & sanguinem eius, ex hac cœ-
ma remouent, ac soli cœlo includunt, vñq ad nouissimum
iudicium.

6 Manifestè Nestorianismum stabiliunt. Nam huma-
nam Christi naturam, nolunt esse, vbi eius diuina sit, &
vbi se iuxta corpus & sanguinem suum quoq futurum
esse, expressis verbis testatus est.

7 Negant ore quoq corpus Christi comedи, iuxta ver-
ba eius disertissima, ac tantum fidem celebrant.

8 Indignos inficiantur corpore Christi vesci, ad suum
iudicium, contra Paulum. *Corinthi*

9 Blasphemiae Spiritu rotantur, ac lingua effreni eru-
stant verba, à quibus pia mens abhorret, qualia multa
Lutherus statim initio huius disputationis ex Sacramen-
tariorum scriptis annotauit.

10 Sediciosos motus concitant plerung Sacramentarij.
Cinglius ipse armatus in bello procedens, ictus interijt,
vnde hic versus in Historijs celebratur.

Occubuit patrio bellator Cinglius ense.

Caroloſtadiuſ absentे Luthero, tumultuabatur domi
in imagines. Antuerpiæ quanto pere grassati ſint Sacra-
mentarij, historia docet, vt de Gallia & Galijs locis taceā.

11 Postremo cothurnos & dolos verborū concinnant. Nā
interdū effingunt voceſ tanta arte, de præſentia corporis
et ſanguinis Christi, vt diceres, imò ferè iurares, eos pla-
nè nobiscum ſentire, paulò post verò in uno quaſi pede

stantes, quæ dederunt penitus iterum auferunt, ac de vi-
atq; energia tantum sua verba accipi volunt, ac subjici-
unt, tam procul abesse corpus & sanguinem Christi à
Cœna hac sacra, q; cælum à terra distet.

Hosce fructus recito, vt studiosi Pseudoprophetas
illos, iuxta Christi premonitionem, cognoscere ac vita-
re discant.

Nunc proprius ad rem. Omnia cum Lutherò sen-
tio & statuo, in hisce verbis Cœnæ: Accepit Panem, 2c.
& ait, Comedite, Hoc est corpus meum. Et accipiens
calicem &c. dixit, Bibite ex hoc omnes, Hic est sanguis
meus, qui pro multis effunditur, ῥόπτορ pectore toto, &
confessione constanti retinendum esse. Causas adfero lu-
culentas & immotas, quibus conscientiae Christum seriō
amantes, tutissime possunt incumbere atq; inniti.

Prima. Quia Christus illa verba protulit, qui & ὁ
est sapientissimus & facundissimus, qui & voluit & po-
tuit dilucide & planè loqui. Et Pater cœlestis iubet
HVNC AVDIRI, non reformari, aut flecti ei-
us sermonem ad arbitrium hominum.

Secunda. quia sunt verba Testamenti, non sunt pro-
verbiales, non parabolicæ locutiones. Nam Christus in
hac tanta actione, qua ante mortem suam Testamentum
suum de bonis summis in Ecclesia sua distribuendis vo-
luit condere: nihil perplexè, nihil obscurè loqui voluit.
Ac res manifesta est, quoties alias parabolam proposuit

Chris-

Christus, interpretationem ipsem et addidit, ne quis de
sua sententia ambigeret. Cum itaque hoc loco magna sa-
pientia, grauitate, perspicuitate, Testamentum condide-
rit, nefas est sumnum, glossa humana alium importare
intellectum, quod verba sonant, cum potius ex verbis Chri-
sti, sententia propria et germana petenda sit.

Tertia causa, Quia summus consensus Euangeli-
starum et Pauli in verbis substantialibus Cœnæ Do-
minicæ extat, qui nulla Sacramentariorum sophisticæ
labefactari debet nec potest.

Quarta. Quia Christi Testatoris scopus fuit, non
tantum promissionem Euangelij aliqua externa tessera,
vysu nimirum panis ac vini Symbolici aut significatiui,
confirmare, sed seipsum, hoc est, corpus et sanguinem su-
um, quo thesauro nihil preciosius, nihil salutarius est,
nobis hoc pacto applicare et donare, et sua beneficia si-
mul adferre atque obsignare voluit. Hoc ingens pignus a-
moris, applicationis, et presentie Christi, nobis violen-
tis verborum Christi contorsionibus eripere conantur
Sacramentarij. Maius igitur furtum in hoc communij Te-
stamento Christi committunt, quam Pontificij. Nam hi Ele-
menta tantum, quo ad materiam auferunt, speciem relin-
quunt. At illi, ipsum Christum, quo ad presentiam et par-
ticipationem veri ac naturalis Corporis et sanguinis eius
sceleratè auferre moliuntur, quia eatantū cœlo concludi-
ac retineri velis, quod dicitur, remisquam omnibus conten-
dunt.

B 3

Quin-

Quinta causa, quia pnomina h̄isce verbis, diuina sapientia adiuncta atq; annexa, vel sola om̄e controversiane tollere possent, si malicia hominū non obstaret. Constat n. pnomina in sacris literis maximā vbiq; habere vim atq; potentia. Hoc est corpus Meum. Hic est sanguis Meus, inquit Christus, qui Deus noster, qui Doctor noster, qui Saluator noster est. Iam verò corpus Meum, vt Christus loquitur, nō idem est, quod figuratiū aut significatiū Christi corpus, aut signum vel typus, vel figura corporis Christi, vt Simon magus & Sacramentarij loquuntur. Imò adduntur etiā maioris evidentiæ gratia, Relatiua. Corpus MEum inquit, QVod p vobis traditur. Sanguis MEus ait, Qui pro vobis effunditur. Iam cogita, qualia portenta Sacramentarij gignant? Corpus inquiunt ibi significat non corpus Christi verum ac naturale, quod tantum iam capitur & constringitur cœlo, quodq; abest longissimo interuallo, sed signum corporis absentis. Itē sanguis meus dicunt, idem est quod signum sanguinis mei absentis. Quonam igitur illa Relatiua, ore Christi plata referentur? Est Meum, inquit Christus, corpus, et quidē hoc ipsum, QVod, audi, QVOD p vobis traditur. Est sanguis MEVS ait, QVI, audi, QVI pro vobis effunditur. Sequitur igitur iuxta petulantem Sacramentario rum deprauationem, signum corporis Christi p nobis traditū esse? Item signum sanguinis Christi p nobis esse effundum, pr̄sus vt Simoniani blasphemabant? Quid est Christum

stum, Dei filiū in os cædere, ac mendacij arguere, Satana
nica præsus impudentia, si hoc nō est? Si Nebulo quispiam
Testamentum alicuius rustici, tam affectata impudentia
contorquere atq; peruertere conaretur, ita quidem, vt
si ille agrum aut vineam, quam accurate etiam limitibus
expressis descripsisset, nobis Testamēto, quod morte sua
confirmasset, legasset, hic nebulo palam maximis clamoribus
psuadere niteretur, non agrum, non vineam illam
intelligendā, sed significari vineam aut agrū, qui in su-
prema aëris regione Spheræ ipsius Lunæ contigua situs
esset, quo cogitatione mentis esset ascendendū, & sic eo
fruendum, nonne p' impio & sceleratissimo homine merito
haberetur, qui indignus esset, vt inter veritatis & ho-
nestatis amantes homines versaretur? Sed Sacramenta-
rij Testamentū Christi, quod est cōmune toti Ecclesiæ i-
psius, tanta licentia, tanta malicia, tanta blasphemia vio-
lant, corrumpunt, puertunt, eneruant. Attendant igitur
vniuersa Ecclesia Christi, quales Christi, quales Testa-
menti ipsius, quales omniū piorū hostes sint Sacramenta-
rij? Non n. facultates, nō imperia, non vitā, sed ipsum vi-
tæ auctore, ipsum inquam Christum è Testamento abripi-
unt. Erit igitur Testamentū vacuū, inane, cassum, si cor-
pus Christi, quod tradidit p' nobis, & quod iubet comedī,
si sanguis Christi, quē fudit p' nobis, & quē iubet bibi in
bac sacratissima cœna, non aderunt, sed aberunt, vt i lo-
quuntur, pcul in cœlo, vnde nō egrediantur ante nouissi-
mum diem.

Sexta Causa. Quia vult Christus sibi tribui V E R I T A T E M & P O T E N T I A M , & omnia sua verba, omnes suas Ordinationes, iuxta hanc Normam æstimari ac dirigi. Sic enim refutans Sadduceos, inquit: Erratis, nescientes scripturas & virtutem Dei. Veritas Christo tribuenda est merito, quia habet etiam cœlestis Patris autoritatem, Hunc audite. Potentia quoq. ipsi iure adscribenda est, quia Deus est, & fundamentum hoc immotum est: Non est impossibile apud Deum omne verbum. Item: Quæcumq; Deus promisit, hæc & P O T E S T præstare.

Lore
Roma
4

Iam autem verba Christi, in Testamento eius diuino consilio, summa sapientia, singulari grauitate q̄ clarrissem sunt, plata, Hoc est corpus M E V M , Q V O D pro vobis traditur; Hic est sanguis M E V S , Q V I pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Ergo sequitur irrefragabiliter, Christum & P O S S E hoc præstare atq; efficere, quod dixit, quod promisit, quod voluit præbere, licet tu id ratione tua non possis consequi, emetiri, comprehendere. Nam sine tua ratione Christus hisce verbis hoc suum Testamentum instituit, & morte sua consignauit ac ratificauit. Non igitur mirum, si absq; tua ratione, verba illa Testamenti sui complebit Christus. Nec te iussit ratione tua verba sua examinare, trutinare, iudicare, an ea tali modo fuerint ponenda? an ea possint subsistere? an possit Christus, ut verba palam

palam & aperte sonant, suum corpus & quidem illud ipsum, quod pro nobis dedit, & sanguinem suum, atq; adeo illum ipsum sanguinem, quem pro nobis effudit, nobis largiri? Sed conditum à se Testamentum, te vult amplecti, te vult parere sine omni contradictione, exceptione, limitatione, mutatione, glossa, suæ sanctioni, te vult sibi attribuere veritatem, de qua iuxta ipsius verba nullum est dubium, & POTENTIA M, quod ea ipsa, quæ verbis expressit, valeat tibi dare. Nequaq; enim mentitur Christus, Nequaq; fallit aut decipit verbis suis, ac potest simpliciter omnia, quæ ore enunciat, adeò, ut ex nihilo quoq; omnia possit producere. Quod si enim Christus non plura posset, q; tua ratio intelligit, cogitat, capit, præscribit, tum in plurimis dictis, Christus mendacij fædissimè coarguendus esset, à qua quidem blasphemia, omnes timentes Deum, totis pectoribus abhorreve, atq; aures auertere decet.

Postrema causa. Quia Glossæ Sacramentariorū sunt dissimiles, incertæ, instabiles, in textum iniuriosæ, quibus conscientiæ seriò Deum colentes, non possunt inniti. Vicissim autem ostendit luctapiorū, bonas conscientias in verbis Christi, & observatione τοῦ ἡρτοῦ, omnium tutissimè & rectissimè posse insistere, & tantum Christo dicensi veritatem ac potentiam attribuere. Evidem Eberus in suo libello, cum vacillationem suam, qua iactatus aliquandiu fuisse, non obscurè indicasset, palam testatur,

statur, conscientiam omnium optimè in ipsis Cœnæ Do-
minicæ verbis, & eorum intellectu, sicuti ibi iacent ver-
ba expressa à Christo, posse acquiescere, licet ille postea
de mandatione indignorum non nihil exorbitet.

Nihil nunc addam, vitandæ prolixitatis gratia, de
veteri Ecclesia, cuius testimonij ad suos errores stabili-
endos, pessima fide abutuntur Sacramentarij. Quid enim
isti homines parcerent Patribus, qui ne Deo quidem lo-
quenti, post tot commonefactiones parcere discunt.

Intelligunt procul dubio omnes seria pietate imbui-
ti, causas à me breuiter expositas esse eiusmodi, vt non
queant sibilo tantum superbo, aut conuicio blasphemie
alicuius maledici Sacramentarij, subito euerti vel de-
strui. Nam gloria, veritas, potentia, Christo in eis tri-
buitur, quæ ei debetur. Sacramentarij autem hisce omni-
bus Christū nefarie spoliant. Si igitur redemandus est,
qui amavit nos plurimum. Si gratitudinem debemus no-
stro redemptori. Si zelandum seriò est peius gloria, ve-
ritate, potentia, hasce causas, ipso dante, regente, ac suo
stantante, imis pectoribus imprimamus, & ijs quasi ar-
mati, contra præstigiatores illos audaces, contra viola-
tores, contra depravatores, contra hostes Testamenti Do-
minici, precibus ad Deum, confessione oris & calami a-
licriter pugnemus. Aderit autem ipse Christus, qui p sua
potentia integritatem sui Testamenti vindicabit.

Supereft ut pauca de Argumento, quod attulisti, adjici
am. Rectè autem sentis optime Domine Magister hoc de-
offens-

Dos
ver.
stea
, de
bili-
nim
n lo-
bu-
non
emo
l de-
tri-
nni-
est,
s no-
, ve-
c suo
iar-
iolas
Do
ni a-
sua
dijci
c de-
fens.

offensione, rationis humanæ ad Testamentū Christi, Argumentum esse fundamentum et scaturiginem omnium, quæ à Sacramentarijs contra verba cœnæ proferuntur.

Respondendum autem est initio ad Maiorem p distinctio nem. Nam alioqui eam indistributam esse, nemo non videt. Duplicia sunt absurdæ, Rationis & fidei. Rationis absurdæ sunt, quando sapientiæ ratiōis humanæ aliquid non conuenit. Fidei absurdæ sunt, quando aliquid verbo Dei sacris literis expresso non conuenit. Ut, Absurdū rationis est, corpus Solis esse bipedale, vt Epicurei nubabantur. Nam ratio humana ex Eclypsibus vmlrarū ratione & alijs Argumentis potest euincere, multoties corpus solare esse maius toto globo terræ. Absurdū rationis est, asseuerare niuem esse nigrum, vt Anaxagoras ineptiebat, quia visus omniū hominū diuersum declarat. Absurdū fidei est, tantum vnicā fingere personā diuinitatis, vt Sabellius insaniebat. Nam tres esse, sacræ literæ disertè docēt. Absurdafidei sunt, homines iam nasci absq peccatis, vt Pelagius deliraabat. Fide sed non sine operibus peccatorem coram Deo iustificari. Dubitandum esse an simus in gratia, vt Pontificij ebuccinant. Bona opera non esse facienda, seu Adiaphora esse, vt Anabaptistæ fu riunt & similia. Nam verbū Dei docet, Homines iam in peccatis concipi et nasci, et totā quidem hominis naturā, non tantū partes eius aliquas esse corruptā. Sola fide sine operibus nos iustificari. Bona opera iuxta mandatum Dei esse præstanda.

C 2 S 3

Duplicia absurdæ
Rationis & fidei



Sicut igitur in rebus humanis, profanis, mundanis,
Absurda rationis prudenter cauēda ac repudianda sunt:
Ita in rebus sacris, diuinis, ecclesiasticis, Absurda fidei
multò magis omni cura & studio fideliter vitanda & re-
jiciēda sunt. Maior itaq; tua: Vbi in sacris literis τὸ φήτον
absurditates gignit, ibi θεών est quærenda: de absur-
dis fidei, & non de absurdis rationis intelligenda est.
Nam in capitibus doctrinæ cœlestis, Absurda rationis
caueri nequeunt. Absurda verò fidei, prorsus abesse opor-
tet. Hac face quasi accensā, iam ad reliquas tenebras
Argumenti, firmiori gressu, & animo alacriori accede-
mus.

Minor igitur falsissima est. Nam in verbis Cœnæ re-
tinere τὸ φήτον, nequaq; gignit absurditates fidei, licet ab-
surdum & πλοκηματα rationis pariat, quæ quidem de-
creta sapientiæ diuinæ non labefactant. Non est enim ab-
surdum, filio Dei veritatem & potentiam in verbis suis,
& gloriam atq; honorem, simplici, supplici, & obtempe-
rante corde tribure.

Fons porrò Minoris manifestè est rationis humanae
principium, dictatum, decretum, non est vox Christi,
non Dei, non verbi diuini, in hac quidem parte. Non
sunt autem verba diuina, quæ hic extant, aestimanda iu-
xta rationis humanae placita. Nam Deus omnes Arti-
culos fidei reuelauit tali modo, ut sint rationi humanae
contrarij, & nequeant ratione intelligi vel comprehen-
di, nisi

di, nisi renata per Spiritum sanctum fuerit. Addidit autem hanc autoritatem et mandatum Deus verbis suis, quod inquit, Audite, credite, obtemperate, sine exceptione, sine disputatione. Et grauissima vox Pauli est, quae pro regula in rebus diuinis habenda est, captiuandam esse Rationem in obsequium fidei.

Habeat igitur locum hoc rationis humanae principium, Nullum corpus finitum, simul et semel in diuersis locis existere potest: in dispositione rerum mundanarum, ubi nulla extat allia dispositio diuina. Quis negat montes adiacentes huic oppido Ienae, non simul et semel existere in Arabiae iugis. Carolum Quintum bellum gerentem in Affrica ad Argieram, non esse simul et semel in Germania.

Sed in hac Cœna est peculiaris constitutio, peculiare decretum, peculiaris voluntas Dei, quod hoc corpus et hic sanguis Christi, debeat distribui et accipi non tantum fide, sed ore quoq; ipso, in omnibus locis Ecclesie Christi, ubi cum hæc sacra Cœna iuxta institutionem ipsius administratur. Causa est, quia Christus ipse dixit, Sic sanciuit, sic voluit, sic Euangelistæ per Spiritum sanctum scripserunt, sic verba sonant, sic loquuntur, sic testificantur.

Quid igitur? Num Christo oblatrabis? Num absurditatem, quam ratio tua affingit, ei obijcies? Num dices impossibile esse Christo, quod ipsem effatur? Imò cedat

dat ratio humana ipsi Deo loquenti. Comprehendere pos-
sibilitatem rei tantæ ne quis? At qui non te hoc iubet Chri-
stus. Nec veritas & potentia Christi, in tua rationis ar-
bitrio, iudicio, comprehensione sita sunt. Tribue Christo
fide tua quæ debes, bestia rationis captiuata, & nihil
amoris de veritate & potentia docentis Christi. Non
errabis, dum ipsius verbis innixus fueris. Blasphemabis
autem, si ei nihil credideris, quod assequi nequeas, quo-
modo id fieri queat. Nam illud QVOMODO fiat,
non in tua est positum cogitatione, sed in potentia loquen-
tis.

Cadentè igitur Minore, quia autoritate, verbo, ac
potentia Christi fortissimè euertitur, conteritur, dele-
tur, corruit etiam ac disiicitur conclusio. Ac si Christi
verum ac naturale Corpus in Cœna hac sacra, non tan-
tum fide sed & ore comeditur, id quod verba ipsa lucu-
lenter probant, sequitur esse realem quoq; communica-
tionem in Christo idiomatum: Sequitur Christum non
captiuari tantum cœlo iuxta humanam naturam: Sequi-
tur blasphemias voces Sacramentariorum dignas esse de-
testatione: Sequitur Lutheri scripta contra Sacramen-
tarios esse verissima, quibus quidem nostras hasce con-
fessiones palam adiungimus

Hæc verè, hæc rectè, hæc solide, hæc piè sancte q; di-
ci, omnium piorum corda testificari, nihil prorsus dubi-
to. Verum ista alias copiosius erunt exponenda, quia bel-
lum contra Sacramentarios pestilentissimos recrudescit.

Hor-

Hortor igitur Ecclesiam huius loci, ut fundamenta
rerum in timore Domini addiscant omnes, nec se quouis
vento hinc inde agitari, aut quouis spectro terrori pati-
antur. Turris est fortissima Nomen Domini, hoc est,
Verbum eius. Qui in hac arce se continent, non expugna-
buntur. Qui hanc lucernam in caliginoso mundo fulgen-
tem sequuntur, veram viam salutis capessent. Qui ve-
rò hominum cogitationes, ludibria & ignes fatuos secta-
buntur, impingent, hallucinabuntur, damna accipient
ingentia.

Iesus Christus, viuus Rex noster, ad dexteram æter-
ni & omnipotentis Patris in cælis regnans, Testamen-
tum suum sacrosanctum à sœnis & maledicis violatori-
bus, benigne ac potenter vindicet, ne nobis corporis &
sanguinis sui preciosissimi in sua sacra Cœna præsentis-
am, applicationem, usum, contrata m illustria verba ipsi-
us tam nefariè adimant, & totum Israël peccare fa-
ciant. Seruetq; suum cœtum simplici corde &
confessione ipsi laudem veritatis, & po-
tentiae, in æterna usq; sæcula tri-
buuentem, Amen.

Amen.


78.165/69

ALC



X 220 604





C A V S Æ,
R I N C O E N A E
M I N I C A E V E R B I S t o g n t o p s I T
R E T I N E N D V M.

Vg
1657

*Magistri & Responsio D. IOANNIS
G A N D I, in promotione Magistrorum
Ienæ recitata 3. Julij. Anno
1571.*



I E N Æ
Impressum per Donatum Ritzenhan.
Anno M. D. LXXI.